



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiae, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 5. De turne proprietates absolutæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

eius etiam Filiatio distingueret, alia quaestio est, infra tractanda. Quod autem addebat de Paternitate constituyente, & distinguente sub diuersis considerationibus nullius momenti est. Tum quia fortasse illud necessarium non est, nam sub quacunque ratione intelligatur constituens, intelligi etiam potest sufficiens ad distinguendum. Tum etiam, quia illa duplex consideratio utraque cadit in personalem proprietatem, & non distinguit in illa diuersas rationes formales specificas, & positivas, sed solum diuersos modos concipiendi nostros, magis, vel minus confusos, quae omnia ex sequentibus sunt manifesta.

CAPVT V.

Virum proprietates constituentes, & distinguentes personas, absolutae sint.

1. **I**n hac refuit opinio Ioannis de Ripa in 1. distinctio. 26. & 27. qui dixit, personas diuinas esse absolutas, & habere inter se relationes, non ut illis personaliter constituantur, sed tantum ut referantur. Quam sententiam, ut probabilem voluit defendere Scotus in illa dist. 26. quaest. 1. §. Tertia opinio. Fatetur autem illi auctores, has proprietates absolutas non multiplicari in diuinis personis nisi media origine, & ita declarant Patres dicentes, personas distinguere per origines. Quod autem iidem Patres dicunt, distinguere relationibus, intelligendum erit iuxta hanc sententiam, vel à posteriori, & quoad nos, quia per relationes intelligimus distinctionem, vel certe intelligendum, erit potentialiter, ut sic dicam, id est, distinguere, quatenus ad inuicem referibiles sunt.

2. **F**undamentum huius sententiae potissime sumptum est ex modo concipiendi nostro. Nam relationes diuinas concipimus instar relationum creaturarum: in creaturis autem nunquam relatio primo, & per se causat distinctionem extremorum, inter quae versatur, sed supponit illam, & in vnoquoque extremo supponit etiam fundamentum, & aliquid, quod referri possit ad aliud: & ideo semper tale etiam fundamentum, vel subiectum in vno extremo absolutum est, & in altero etiam terminus est absolutus. Quae omnia maxime reperiuntur in relationibus originum creaturarum, ut inter Patrem, & Filium humanos facile considerare licet. Ergo ad eundem modum se habent relationes diuinae: sunt enim vere, & proprie relationes, ergo habent omnia pertinentia ad rationem relationis, ut sic. Huiusmodi autem sunt omnia, quae numeravi, conueniunt enim relationi, non ex eo, quod creata est, sed ex eo praecise, quod totum suum esse est, ad aliud se habere: inde enim habet, ut necessario supponat aliquid quod referat, atque adeo quod ex positione illorum resultet.

3. **A**tque haec ratio applicata ad Patrem solet ingere maximam difficultatem, nam Pater prius secundum rationem generat, quam referatur ad Filium, refertur enim, quia generat. Rursus, ut generet, supponitur quod sit persona: nam esse est prius, quam producere: ergo illa persona ut sic necessario debet esse absoluta. Ex parte vero Filij (& idem est de Spiritu sancto) non ita urget difficultas: tamen applicari potest ex alio principio, quod ad relationem non est per se motus, & ita non est per se productio: ergo generatio Filij primo intelligitur terminari ad illam personam, ut in se absolute constitutam, deinde vero resultare relationem Filij.

4. **A**lias rationes addit Scotus, quae mihi videntur esse minoris momenti, ut quod relatio, verbi gratia, Paternitas ex vi sui conceptus, non est proprietas omnino incommunicabilis: hoc autem necessarium est, ut constituat personam. Assumptum declarat: quia si per impossibile processio per volun-

tatem esset prior, quam processio per intellectum Paternitas esset communis Patri, & Spiritui sancto. Item quia ex tribus relationibus potest abstrahi communis conceptus relationis, quod putat Scotus repugnare respectu trium proprietatum personaliura: nam cum illae incommunicabiles esse debeant, non possunt habere conceptum communem. Tandem assert Scotus illud Proverbiorum trigesimo, *Quod est nomen eius, id est, Patris, & nomen Filij eius, sine* Nam in hac interrogatione significatur habere Patrem, & Filium alia nomina magis occulta, quae necessario debent in illis significare aliquas alias proprietates latentes sub Paternitate, & filiatione, illae ergo sunt absolutae.

Dicendum vero est, nullas esse in Trinitate proprietates absolutas, sed suis relationibus personalibus personas constitui & distinguere. Haec posterior pars sequitur ex praecedenti, eamque in duobus capitulis sequentibus explicaturi sumus. Prior vero tam est certa, ut aliqui non dubitent oppositam sententiam erroneam appellare, sed fortasse non attingit illum gradum: satis est, esse improbabilem, & contrariam consensui Theologorum. Solet autem hac veritas probari primo ex scriptura, in qua diuinae personae nunquam nominantur, nisi per voces, quae relationem, vel originem important, ut *Pater, & Filius, &c.* Quod argumentum, quamuis tantum sit negativum, nihilominus pro dignitate materiae est validum, quia de hoc mysterio nihil cognoscere possumus, nisi per reuelationem. Nec locus ille, quem asserbat Scotus ex Proverbiorum trigesimo, aliud indicat, sed solum ineffabilem nobis esse Patrem, & Filij dignitatem, & excellentiam, vel etiam ibi significatur, ipsa nomina Patris, & Filij, quibus personas nominamus, non satis explicare proprietates illarum, non quia illae proprietates absolutae sint, & à relationibus distinctae, sed quia illa nomina communia sunt creaturis, immo ex creaturis ad Deum translata, & ideo, sicut non explicant modum diuinae generationis, ita nec satis explicare valent illas proprietates.

Secundo probatur ex Concilijs, Lateranense enim in capite *Firmiter*, primum nominat *Patrem, Filium, & Spiritum sanctum*: sub his nominibus, & deinceps subiungit, *Trinitatem esse discretam per proprietates personales*: indicans has esse easdem, quas illis nominibus significauerat, imo significans etiam, vnicam esse tantum proprietates personales: quod notandum est. Concilium etiam Florentinum sess. 18. *Relatio*, inquit, *apud omnes tam Graecos, quam Latinos doctores personas multiplicat, & infra additur etiam dictio exclusiva, solatio.* Concilium Vormaciense in confessione fidei, *Quod Pater (inquit) est non ad se, sed ad Filium dicitur, &c.* Vbi expendo, non loqui tantum de Patre, ut Pater, nam hoc per se notum erat, sed dicere, *Quod est Pater, ut de toto illo, quod persona proprium est, se loqui ostendat.* Quod fusius explicuit Concil. Toletanum in confess. fidei, nam in primis habet eadem verba, *Quod Pater est, non ad se, sed ad Filium est*, deinde addit, *In relatione numerus cernitur in substantia, id est, essentia, non inuenitur*: indicans, numerando relationem, & essentiam omnia dixisse, quae in Deo sunt. Vnde exclusiue concludit, *Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad maiorem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt.* Et infra declarat, huiusmodi relationem esse proprietatem, vnicuique propriam.

Tertio ex Patribus generaliter sumi potest idem argumentum, quia cum saepe loquantur de proprietatibus personalibus, & illis dicant constitui, & distinguere personas, nunquam aliarum mentionem fecerunt. Quin potius ita loquuntur, ut omnes alias manifeste excludere videantur. Praesertim vero D. Augustinus, de Trinit. c. 5. & sequentibus aperte docet, in Deo non esse, nisi substantiam, id est, essentiam, & relationem, & quid ad se, & non ad aliud dicitur, ad essentiam pertinet. Vnde

Vnde inferius inquit. Si quod dicitur Pater, ad se, & non ad Filium diceretur, secundum substantiam diceretur, sed quia ad Filium, & non ad se dicitur, ideo non secundum substantiam dicitur. Ergo iuxta Augustinum, repugnat proprietatem esse absolutam, & esse propriam. Vnde cap. 8. regulam constituit. Quidquid in Trinitate ad se dicitur, substantialiter dicitur. Damasc. lib. 1. cap. 10. omnia esse communia præter innascentiam, generationem, & processionem, quod explicans c. 11. inquit. Nos vnum agnoscimus Deum, in solis quidem proprietatibus paternitatis, filiationis, & processionis differentiam intelligentes, similia sumuntur ex Ans. de Incar. verbi c. 3. & de Processione Spiritus sancti c. 1. & ab illo videtur præcipue sumptum illud axioma. In diuinis omnia sunt vnum, ubi non obuiat relationis oppositio. Quod alias dixit Boet. lib. 1. de Trinitate, Sola relatio multiplicat Trinitatem. Quod etiam habet Ioannes Maxentius, in secunda professione fidei. Et eodem sensu dixit Richardus de sancto Victore lib. 4. de Trinitate cap. 15. Personas non posse qualitatibus distingui, sed tantummodo originibus.

Metaphysica, an relatio, quæ resultat ex absolutis, sit aliquid rei intrinsecum, vel sola denominatio. Consequens autem est valde alienum à mente Sanctorum Patrum, ponentium has relationes in diuinis tanquam omnino necessarias, & per se requisitas ad distinctionem personarum. Quod si ob hanc causam altera pars eligatur, non minus repugnat Patribus, ponere in vnaquaque persona duplicem proprietatem: tantum enim singulas, seu vnica agnoscunt, & vt supra argumentabamur, cum vna sit perfecta & sufficiens, superuacaneum est aliam fingere, quod magis patebit respondendo ad argumenta.

Fundamentum ergo præcipuum quod sequitur ex modo concipiendi nostro, paulatim est in sequentibus capitibus tractandum. Nunc breuiter nego, & equiparandas esse relationes diuinas cum creatis in omnibus, quæ ibi assumuntur. Et ratio differentie primaria est, quia relationes diuinæ personales sunt subsistentes: creatæ verò, & præsertim illæ, quæ censentur esse per veram resultantiam ex absolutis extremis, sunt accidentaria, & in eo ordine sunt valde imperfectæ, & diminutæ. Quæ differentia quoad hanc posteriorem partem ex Metaphysica satis constat: quoad priorem verò constat ex his, quæ diximus in libro tertio de subsistentiis personalibus. Et declarari breuiter potest, quia relationi, vt sic, non repugnat esse subsistentem, quia licet sit ad aliud, tamen etiam in se est aliquid secundum totam rationem suam, vt supra declaravi: ergo non repugnat vt sit in se perfectio modo, atque adeo per se subsistens: ergo talis perfectio tribuenda est diuinæ relationi personali, nam quidquid est in Deo, habet perfectissimum modum, sibi non repugnantem.

Ex hac autem differentia colligitur alia, scilicet, relationes originis, quæ sunt inter creaturas, non esse per se intentas, sed secundario resultare: propter quod dictum est ab Aristotele, Ad relationem non esse per se motum. Hæc verò relationes sunt per se, quia in qualibet natura, & maxime in diuina, id, quod est per se subsistens in tali natura, est maxime per se. Atque ita Paternitas est in diuinitate tanquam per se immediate coniuncta illi. Filiatio verò est tanquam per se intenta per generationem, (vt more nostro loquamur,) & idem est suo modo de processione.

Rursus hinc etiam fit, vt relationes creatæ indigent fundamento, in quo nitantur propter imperfectionem suam, diuinæ autem illo non indigent, quia subsistentes sunt. Vocant quidem aliqui Theologi essentiam fundamentum harum relationum. Proprius verò dicitur quasi radix illarum, sicut natura est radix suæ personalitatis, secludendo tamen imperfectiones. Non est tamen fundamentum, quia neque est tale, vt per huiusmodi relationem referatur: neque etiam est tale, vt in illo sit relatio tanquam in subiecto proximo vel remoto, etiam nostro modo concipiendi, sed potius essentia est in hypostasi, per relationem incommunicabiliter subsistente, tanquam in persona, quæ in illa natura subsistit. Denique ex eodem principio sequitur, has relationes non supponere extrema, quæ referant, nec distinctionem eorum, vt resultent, sed ipsas esse, quæ referuntur secundum rem, ac proinde easdem constituere personas relatas nostro modo concipiendi, & consequenter etiam illas distinguere, iuxta superius dicta. Et ob eandem causam non oportet, vt pro termino habeant aliquid absolutum, sed se inuicem per se primò respicere possunt. Hæc ergo est natura illarum relationum personalium, ex qua satisfactum est fundamento oppositæ sententiæ. Quomodo autem huic rei, & veritati modus noster concipiendi accommodari debeat, explicabo, vt dixi in sequentibus capitibus.

9. Solet autem ad hæc responderi, Patres non loqui de constitutione, sed de distinctione, & fieri posse, vt personæ constituantur per absolutam, distinguantur autem per relationes. Sed hoc neque in sententia Scoti locum habet, doctis idem esse constitutum, & distinctum: neque etiam in aliorum sententia, quia saltem in absolutis omnes concedunt id, quod constituit, distinguere, & nos generaliter probauimus id verum esse. Præterquam quod Patres non solum loquuntur de distinctione, sed etiam de eo, quo vnaquæque persona in se talis est, & vniuersaliter non agnoscunt in Deo quidpiam proprium, nisi relationem, nec solum dicunt, personas numerari relationibus, sed etiam nihil numerari in Deo, præter relationes, seu relatiua.

10. Quartò, ratio potissima in hac materia sumenda est ex altitudine mysterij, de quo nihil affirmare possumus, vt dicebam, nisi vel quod reuelatum est, vel quod in reuelatis continetur. Præter hoc vero addere possumus rationem supra insinuatam libro primo ex discursu valde consentaneo rationi naturali, supposito mysterio. Quia omnis proprietates absoluta in Deo dicit perfectionem simpliciter simplicem, quia neque includere potest imperfectionem, neque etiam oppositionem ratione cuius ex vi proprii conceptus non sit melior in quolibet ipsa, quam non ipsa. Proprietas autem personalis non potest formaliter dicere perfectionem simpliciter secundum propriam rationem suam, vt supra ostensum est, quia cum sit incommunicabilis, non potest esse Deo essentialis: omnis autem perfectio simpliciter est essentialis Deo, ergo personalis proprietates non potest esse absoluta in Deo. Atque eadem ratione non potest esse incommunicabilis, quia incommunicabilitas oriri debet, aut ex limitatione, aut ex oppositione: propterea enim subsistentia essentialis communicabilis est, quia nec limitata est, nec oppositionem habet, cum absoluta sit: ergo si subsistentia Patris esset etiam absoluta, non posset intelligi incommunicabilis Filio.

Denique addere possumus, quod si diuinæ personæ habeant proprietates absolutas, vel cum illis etiam habeant relatiuas, quæ verè sint proprietates reales intrinsecæ, vel non. Fortasse enim non deesset, qui supposita illa sententia Ripæ, hanc posteriorem partem eligeret, vt probabiliorem. Quia tunc relationes tantum essent mere resultantes, & non constituentes, nec distinguentes personas, vtrumque enim supponunt, vt resultent: non ergo essent necessariae relationes illæ ad constitutionem mysterij, sed tantum se haberent, sicut inter Patrem & Filium creatos, excepta ad summum differentia accidentis vel substantiæ. Atque ita veritas & necessitas illarum relationum pendebit multum ab illa questione

Suarez: De Deo trinitate.

14. Alia vero argumenta Scoti faciem habent responsum. Dico enim, relationem personalem ex proprio conceptu esse incommunicabilem eo ipso, quod subsistens relatiue est. Neque est ulla ratio, cur proprietates absolutae possint esse ratio subsistendi incommunicabiliter, & non relatiue: imo in Deo magis hoc potest conuenire relationi propter oppositionem.

Ad argumentum autem ex hypothese impossibili dicitur primo, ex vno impossibili posse sequi aliud impossibile. Deinde dicitur, in eo casu paternitatem non fore relationem personae iam subsistenti, sicut nunc est spiratio actiua, & ideo mirum non esse, quod in eo casu non esset incommunicabilis, quia tunc non esset proprietates personalis. Ad alteram vero partem dicitur, proprietatem personalem esse quidem realiter incommunicabilem, non tamen repugnare illi quod habeat conuenientiam aliquam rationis cum alia simili proprietate, à qua possit intellectus abstrahere rationem communem, vt in personis creatis videre licet. Neque intelligo, cur si diuinæ personae constituerentur absolutis, non conuenirent eodem modo in communi conceptu personae increatae absolutae: sicut nunc conueniunt in conceptu relatiue, vt in libro primo tractatum est, locus autem Prouerbiorum iam explicatus est.

CAPVT VI.

Utrum proprietates constituentes personas, sint relationes vel originēs.

1. *Quaestio necessaria.* Non desunt Theologi, quibus haec quaestio superflua videatur, quia iuxta sententiam satis receptam, originēs & relationes cum proportionem comparatae, idem omnino & adaequatae sunt: ergo perinde est dicere personas constitui ac distinguere relationibus vel originibus. Vnde Sancti Patres in differenter illis tribuunt haec omnia, vt patet ex allegatis in capite primo, & in praecedenti, praesertim Damasceni. Item ex Fulgentio de Fide ad Petrum capite primo dicente, *Quia aliud est genuisse, quam natum esse, & aliud procedere quam gnuisse, vel natum esse manifestum est, quoniam alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.* Similia habet Ambrosius libro primo de Trinitate contra Anomaeos, & Bessarion in oratione pro vnione, quae habetur post Concilium Florentinum capite sexto in fine. Augustinus denique libro quinto de Trinitate capite sexto, nullum discrimen agnoscit inter Filium & genitum, Patrem & genitorem.

2. Nihilominus praesens quaestio praetermitti non potuit, tum quia inter grauissimos Patres D. Thom. & Bonauenturam versatur: tum etiam, quia ad explicandum mysterium multum confert, tum denique quia de modo distinctionis inter originem, & relationem non satis constat, vt supra vidimus. Saltemque certum est, distinguere ex modo concipiendi nostro, & consequenter in modo significandi, quod satis est, vt de illis etiam aliter loquendum sit in ordine ad constitutionem, quae nostro modo concipiendi explicatur.

3. *Opinio distinguens inter hypostasim & personam.* Sunt ergo tres opiniones. Prima antiqua quae asseruit, hypostasim diuinam constitui originibus, personas autem constitui relationibus: vnde consequenter dicebat haec opinio, abstractis per intellectum relationibus non manere personas, manere autem diuinam hypostasim, quia persona supra hypostasim addit dignitatem relationis. Ita refert Diuus Thomas quaest. 40. articulo 3. Vbi hanc sententiam reprobatur, & ab omnibus reiecta est. Nam, vt supra visum est lib. 1. persona supra hypostasim so-

lum addit dignitatem ex parte naturae, nimirum, quod rationalis seu intellectualis sit: hanc verò dignitatem summo, & perfectissimo modo includunt hypostasim diuinam naturae: ergo implicat dicere aliquid constituere hypostasim in diuina natura, & non constituere personam. Adde praeterea, si diuina supposita constituta intelligantur cum origine vnus ab alio, reuera iam intelligi cum tota sua dignitate substantiali: & ideo relationem vt sic, non posse addere dignitatem necessariam ad esse personae, aliàs neque Pater, neque Filius in sua personali dignitate satis essent constituti, donec ad Spiritum sanctum intelligeretur relati.

4. *Opinio distinguens originem & relationem.* Secunda opinio est, Personas diuinam constitui, & distinguere personaliter originibus, & non relationibus. Haec fuit opinio Bonauenturae in 1. distinctione originum. Vigesima sexta, & distinctione vigesima septima. Fundamentum est, quia in persona nihil est proprium, nisi origo vel relatio. ergo alterutra ex his debet constituere: ergo illa, quae prior fuerit altera, ipsa constitueret, nam proprietates constituentes rem debet esse prima omnium. Sed origo est prior relatione, ergo, &c. Probatur minor, quia origo est ratio & fundamentum relationis: ideo enim Pater refertur, quia generat. Contra hanc sententiam retorquent Thomistae hoc ipsum fundamentum, quia loquendo de origine actiua, prior esse debet forma constituens, quam ipsa origo, quia generatio actiua, verbi gratia, est vt via ab aliquo fluens, ergo supponit illud principium à quo fluit: generatio autem est à persona, & non ab essentia, vt à principio quod: ergo supponit personam constitutam, ergo non potest illam constituere.

5. Neutra verò ratio, si attente consideretur, probat directè suam sententiam, sed excludit aliam. Respondent enim Diuus Thomas & alij ad rationem Bonauenturae, quod quamuis relatio, vt relatio, supponat originem, tamen vt proprietates constituentes supponit origini. Quae responsio praeter difficultates tractandas capite sequenti, in praesenti redargui potest. Nam eadem distinctione vt posset Bonauentura, dicens, originem ipsam esse proprietatem constituentem, & vt sic, nihil supponere, etiam si sub alio modo concipi possit, vt fluens à persona. Declaratur ab exemplo, nam ipsum esse Dei, atque adeo constituens Deum in esse Dei, quamuis secundum rationem concipi possit illud intelligere, vt actus immanens, fluens à Deo: sic ergo generare esse poterit idem esse Patris, esse, inquam, personale, quamuis alias secundum rationem concipiatur vt actio fluens ab ipsa. Ratio autem vtriusque est: quia vterque actus tam essentialis, quam notionalis, quamuis significetur per modum actus secundi, tamē est actus perfectus per essentiam & per se talis, & ideo non ita manat seu fluit ab aliquo, vt necessario supponat constitutum, etiam secundum rationem.

6. Nihilominus est tertia sententia, quam veram esse censo, originem non constituere personas, neque foris distincte ac proprie illas distinguere. Haec est sententia Thomistica in illa quaestione quadragesima, articulo secundo, quam sequuntur omnes Thomistae citati capite sequenti, Durand. & fere alij communiter in 1. distinct. vigesima sexta. Et quantum ad hanc partem negantem consentit Scotus seclusa opinione de proprietatibus absolutis. Vt autem probetur, supponendum est, quod supra cap. 4. significauimus, duobus modis posse dici personas distinguere per aliquid primum tanquam per formam propriam intrinsece constituentem vnquamque personam in suo esse personalis, secundum tanquam per conditionem necessariam & viam ad multiplicationem personarum. De hoc posteriori modo nulla est quaestio. nam certū est, personas multiplicari per originem, nec posse alio modo esse in Deo